


Joachim Schnobel

**Programma quo Joachimus Schnobelius ... uti & Caeteri Professores Ampliissimi Collegii Iuridici Ad Disputationem Inauguralem Dn. Johannis von Hatten/ Rensburga Holsati, Die 19. Iunii publice ... habendam Magnificum Dn. Rectorem, Dnn. Professores, Caeterosq[ue] omnium ordinum cives Academicos officiose ac sedulo invitant**

Rostochii: Kilius, 1645

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731860136>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA

quo

JOACHIMUS

SCHNOBELIUS,

J. U. D. Prof. & Juridicæ Facultatis

p. t. DECANUS,

uti &

Ceteri Professores Amplissimi

Collegij Juridici

AD

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

DN. JOHANNIS son Gatten/

Rensburgâ Holfati,

Die 19. Junij publicè cum DEO


habendam.

Magnificum Dn. RECTOREM,

Dnn. Professores, Ceterosq; o-

mnium ordinum cives Academicos

officiosè ac sedulò invitant.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academiæ Typographi.

ANNO M. DC. XLV.

1645

R. U. - jur 1645 Schnobel, Joachim /  
a.c.





# DECANUS

## Totumq; Collegium Profes- forum Juridicæ Facultatis,

L. S.

**C**ùm multæ criminum sint in jure no-  
stro species, & varia in veterum re-  
centiorumq; Historicorum monu-  
mentis exempla, tum nullum est,  
quod magnitudine & atrocitate sua  
adæquet CRIMEN MAJESTATIS. Quicquid  
enim sceleris homines secum meditari possunt,  
licet sint ad hoc ingeniosissimi & quasi *πεφυκέτες*, id  
omne illud, quo Numinis divini & terreni Prin-  
cipis læditur Majestas, longissimè superat. Gra-  
ve quidem delictum est dictamen naturæ, quæ  
inter homines omnes quandam constituit co-  
gnationem, negligere & privati hominis incolumi-  
tati, honori & vitæ insidiari: gravius illum vi-  
tâ penitus exuere, & non rarò imparatum, sui præ-  
furore iracundiæ & temulentia minùs compo-  
tem, aut aliàs de vitâ meliore nihil sollicitum aut  
cogitantem opprimere & ad tartara flammæq;  
mittere infernales: gravissimum autores vitæ  
ferro



ferrò aggredi, & quorum beneficio cœli hujus  
hanc lucem haurire cæperas, tellurempedibus  
institeras, quorum curis & jugi solitudine va-  
lidum corpus ad robustam ætatem traduxeras &  
infinite beneficiis eras affectus, luce privare &  
lethi tenebris involvere. Cætera quoq; vel cum  
vi armata & coactâ multitudine privatis insultatur, eorumq; opes auferuntur, vel incendiis &  
latrocinio sævitur, vel tori sanctitas temeratur,  
& spuria soboles alienæ familiæ inseritur, vel falsi-  
tatibus innocentes incautiq; circumveniuntur,  
oppidò sunt scelesti & cum summâ sui turpitu-  
dine insignem simul produnt atrocitatem, ut me-  
reantur abominationem & legibus publicorum  
judiciorum meritò vindicentur. Sed quæ Divi-  
næ, & huic in terris proximæ Humanæ Majestati  
infertur vel contumelia vel violentia, ista omnia  
gravitate & atrocitate suâ multis parasangis an-  
tecedit. Quantò enim DEUS homine, Prin-  
ceps privato, Respublica Univerſa & Patria, sin-  
gulis major est, tantò crimen hoc, quo J E H O-  
VÆ in secula sine fine adorando maledicatur,  
tremendum ejus nomen blasphemiiis laceratur,  
immota Salutiferi ejus verbi veritas pervertitur  
& impugnatur, adeoq; cultus ipsi debitus respui-  
tur & ejuratur; quo Diis illis terrenis, Principi-  
bus puta post DEUM summis debita obedien-  
tia



cia excutitur, insidiæ ijs struuntur, vita adimitur; quo nefariè contra Rempub. conjuratur, omnium in eâ salus in discrimen adducitur, ad eamq; delendam cruenta consilia agitantur & machinæ variæ intenduntur, reliquis omnibus, quæ delictorum scelerumq; naturam ac nomen habent, gravius & atrocius est judicandum. Et ut de eo saltem, quod Humanam contra Majestatem perpetratur, agamus, quis non videt consimile hoc esse illi, quod in principio rerum omnium Lucifer in Creatorem suum & Regem Regum commisit, dum non contentus gratiâ ac sublimitate sibi concessâ divinæ Majestatis fastigium affectare & tot myriadibus sociorum fretus Omnipotentem solio deturbare ausus est? Cui primo sceleri & futurorum ipsius scelerum quasi specimini, in quo totâ malitiæ suæ abyssum exseruit, uti nullum aliud ex illis, quæ successu temporum continuata sunt, par est & secundum; ita nec in hominis perversi & à Satanâ fascinati mentem dirissimam incidere quicquam potest sceleratus, quàm adversus Principem suum hostili animo conjurare, insurgere, illiusq; necem & Patriæ exitium moliri. Nam si Personam spectes, quæ lædit, Civis ac subditus est, qui non divino naturaliq; solùm jure post DEI gloriam & cultum Principis Patriæq; salutem omnibus & personis

& re-



& rebus anteferre tenetur, sed ut id faciat fidem  
etiam juramento illis adstrinxit. Si Personam  
quæ læditur, Princeps est, DEI minister est, com-  
munis omnium parens, publicæ salutis custos ac  
depositarius, vel loco Principis & in Principe  
Patria, quæ in lucem editum primitus suscepit,  
fovit, nutriit, defendit, & omnes omnium cha-  
ritates disertissimi Arpinatis testimonio conti-  
net. Periculum verò & eventus sine horrore  
maximo ne cogitari quidem potest. Cætera cri-  
mina, uti inquit Cato apud Sallust. persequi pos-  
sumus ubi jam facta sunt; hoc nisi provideatur,  
ne accadat, ubi evenit, frustra judicia implores.  
Principe enim prodito aut cæso, omnia velut me-  
tu muta horrescunt & hebetantur, cunctorumq;  
cervicibus gladius imminere videtur: capta urbe  
vel hosti prodita ab eoq; occupata, victis nihil fit  
reliqui. Unde constat cæteros omnes & omniū  
omnia, quæ quidem sub Principe aut in civitate  
habent, dicunturq; bona, hoc scelere, quo sum-  
ma imis subito miscentur, præsentissimo pericu-  
lo involvi, & nisi DEUS clementer succurat, in  
exitium præcipitari. Quod multis tam veteris  
quàm recentioris ævi exemplis, si spatium pagel-  
larum pateretur, & non protrita fermè essent,  
posset illustrari. Cùm verò tantum hoc sit sce-  
lus, ut cætera omnia magnitudine sua superet,



imò etiam atrociora quæq; rapinas puta, cædes,  
lanienas, parricidia, incendia, constuprationes,  
proditiones, sacrilegia, (& quæ non?) suo com-  
plexu contineat, non mirū multa de eo tum alia-  
rum gentium moribus, tum jure nostro Romano  
singularia esse constituta & usu recepta. Pœnæ  
ejus imprimis adeò suat exasperatæ, ut, nisi pu-  
blica salus & utilitas omni ratione esset valenti-  
or, iniquissimæ videri possent. Herodotus Per-  
sarum Regem Dariū ob crimen in janitores suos,  
quib<sup>9</sup> Intaphernes à regia repulsus aures naresq;  
præciderat, admissū, supplicium sumpsisse tradit  
non de Intapherne solum ipso, sed & de familia  
ejus omni & cognatione & liberis, excepto fra-  
tre uxoris & primogenito liberorum, quos mise-  
ricordiâ uxoris motus solverat. Artaxerxes iti-  
dem Persarum Rex, narrante Justino, Darium  
filium, quem per indulgentiam in consortium  
imperij adsumpserat, quod capto interficiendi  
sui consilio cum quinquaginta fratribus in ne-  
cem suam conjurasset, sibiq; insidias parasset &  
ipsum & socios parricidij interfici jussit. Con-  
juges quoq; omnium cum liberis, ne quod vesti-  
gium tanti sceleris extaret, interfectæ. Macedo-  
num quoq; teste Curtio, lege cautū erat, ut pro-  
pinqui eorum, qui Regi insidiati essent, cum  
ipsis necarentur. Nulla verò, licet saltem in-  
tentatum,



tentatum, nondum vero patratum scelus esset, ratio ha-  
bita sanguinis, nulla naturalis affectus & propinquitatis.  
Quod non Artaxerxis solum supra memorati, sed & L.  
Bruti Cos. Romani exemplū testatur, qui filios suos Tar-  
quinij expulsam tyrannidē reducere conantes compre-  
hensos & ante tribunal virgis caesos ad palum religatos  
securi feriri iussit. Libertas enim & Salus Patriæ Paren-  
tibus Romanis antiquior fuit, quàm charitas liberorum.  
Quo pertinet illud Philippi II. Regis Hispaniarū, ut filio  
Carolo parricidij intentati reo parceret, moniti respon-  
sum, ex Naturæ lege se plus filium quàm seipsum dilige-  
re, ex lege verò DEI & salutem populi filio & publicam  
charitatem privatæ præferre. Quid jus nostrum Ro-  
manum quoad pœnam reis hujus criminis infligendam  
fanciat, l. quisquis C. ad L. Jul. Maj. aperit, ubi non solū  
ipsi gladio feriri jubentur, bonis eorum fisco applicatis,  
sed & infamiæ ac paupertatis pœna liberis eorum irro-  
gatur, ut iis perpetua egestate sordentibus sit & mors  
solatium & vita supplicium.

Sed hujus atrocissimi & asperrimi criminis nec no-  
stro, proh dolor. tempore inusitati & obsoleti materiam  
eximus & præstantissimus Candidatus Dn. JOHAN-  
NES von Hatten/ Inaugurali suâ Disputatione uberius  
exponit, cujus causa quoq; hæc hæctenus à nobis pro-  
lata sunt. Postquam enim is non inani quadam ambi-  
tione & fastu, sed consilio & hortatu eorum, quibus non  
parere ipsi erat religio, ductus aditum ad supremos in  
utroq; jure Honores capeffendos sibi patefferi à nobis  
modestè petiisset, nobisq; jam tū pfectus ejus in studio  
hoc, quem in tribus præcipuè Academiis Germaniæ præ-  
lustribus Regiomantana, Julia, & nostra hac Rostochi-  
ensi fecerat, ex Disputatione antehac de arduâ ac difficili  
Resti-



Restitutionis in integrū materia publicè cum laude habita quodammodo constaret, petitioni illius non solum ad rigorosum Examen privatum illū admittendo locū meritò dedimus, sed etiam, ubi eruditionem in eo suam nobis probasset, licentiam ei publico sese examini committendi concedere voluimus. Cui Actui solenniter, DEO juvante, obeundo cū dies 19. mensis hujus dictus sit, ad illum Magnificum Dn. RECTOREM, Reverendos, Consultissimos, Experientissimos, Clarissimos omnium Facultatum Dnn. Professores, Doctores, Verbi Divini Ministros, Philosophiæ & artium liberalium Magistros, Nobilissimos item ac litteratissimos Studiosos omnesq; cives Academicos ea quā par est humanitate ac diligentia invitamus, sedulò à singulis contententes, ut in Auditorio Majori horis solitis frequentes conveniant, Candidatum hunc disputantem, benevolè audiant, cum ipso, prout moris est, amicè de propositā materiā conferant, eoq; officio suam erga Facultatem Juridicam benevolentiam aliàs sæpius spectatam porrò declarent, certò sibi persvadentes, non ipsum solum Candidatum gratiam debitam pro natā occasione relaturum, sed & nos prompto vicissim studio cuius gratificaturos esse. Quod restat, Deum ter opt. max. Salutis & Sapientiæ fontem unicum devotè precamur, ut quæ nobis adhuc reliquit diviniæ suæ bonitatis munera, tranquillam puta hoc in loco Securitatem, Religionis sinceræ & artium utilissimarum studia & culturam, porrò clementissimè conservet, totiq; nunc tandem Christianitati Pacem sinceram firmamq; reddat. P. P. Rostochij sub sigillo Facultatis Juridicæ 3. Junij Anno O. R. 1645.





& rebus anteferre tenetur, se  
etiam juramento illis adstrin  
quæ læditur, Princeps est, DE  
munis omnium parens, publi  
depositarius, vel loco Prin  
Patria, quæ in lucem editum  
fovit, nutriit, defendit, & or  
ritates disertissimi Arpinatis  
net. Periculum verò & ev  
maximo ne cogitari quidem  
mina, uti inquit Cato apud Sa  
sumus ubi jam facta sunt; he  
ne accidat, ubi evenit, frustra  
Principe enim prodito aut ca  
tu muta horrescunt & hebeta  
cervicibus gladius imminere  
vel hosti prodita ab eoq; oca  
reliqui. Unde constat cæter  
omnia, quæ quidem sub Pri  
habent, dicunturq; bona, he  
ma imis subito miscentur, pr  
lo involvi, & nisi DEUS cle  
exitium præcipitari. Quod  
quàm recentioris ævi exemp  
larum pateretur, & non p  
posset illustrari. Cùm verò  
lus, ut cætera omnia magn

A 3

iat fidem  
ersonam.  
est, com  
custos ac  
Principe  
suscepit,  
ium cha  
io conti  
horrore  
ætera cri  
equi pos  
videatur,  
mplores.  
velut me  
torumq;  
apta urbe  
is nihil fit  
& omniū  
n civitate  
quo sum  
o pericu  
ccurat, in  
m veteris  
um pagel  
mè essent,  
oc fit sce  
a superet,  
imò

